

speciosa, structura pretiosa: ubi lux erit sine tenebris; corpus sine miseriis: ubi salus erit sine dolore; vita sine labore: ubi amor nunquam frigescet; gaudium nunquam decrescet: gemitus non audietur, neque dolor sentietur: ubi triste nihil videbitur; lætitia semper habebitur: ubi summa & certa securitas; segura tranquillitas; tranquilla jucunditas; jucunda felicitas; felix beatitas; beata Trinitas; Trinitas, unitas; unitas, Deitas; & Deitatis in omnem æternitatem perennis visio.

D I X I.



ORATIO  
FVNEBRIS IN  
OBITVM ALBERTI  
ARCHIDVCIS AVSTRIÆ, DVCIS  
BVRGVNDIAE, PRINCIPIS BELGICAE, &c.  
IN ORATORIO ARCHIFRA-  
ternitatis Crucifixi D. N. J. C.

COLONIAE HABITA

A R. D. ADOLPHO SCHVLCKENIO GELDR.  
S. THEOL. DOCT. PROFESS. PROTONOTARIO APOST.  
Canon. Presbytero Capitul. Metropol. In spiritualib.  
Vicario Generali.



COLONIAE.

Apud CONRADVM BVTGENIVM,

Anno MDCXXI.

ORATIO FUNEBRIS  
IN OBITUM  
SERENISSIMI PI-  
ENTISSIMI, AC POTENTIS-  
SIMI PRINCIPIS, AC DOMINI,  
DOMINI ALBERTI,  
ARCHIDUCIS AVSTRIÆ, DUCIS  
BURGUNDIÆ, PRINCIPIS BELGICÆ, ANNO PARTÆ SALV-  
tis CI. D. CXXI. III. Idus Quintileis Bruxellis piè in Christo de-  
functi, cum ageret secundum annum Præfecturæ humilis Ar-  
chifraternitatis Crucifixi Domini nostri Iesu Christi,  
vixisset annos LXI. menses VIII.

COLONIAE AGRIPPINÆ,

In Oratorio dictæ Archifraternitatis, peractis solenniter ex-  
equijs, coram Illustrissimo ac Reuerendis. Principe FRANCISCO  
à LOTHARINGIA, Decano Metropolitano, & alijs vtrius-  
que status, Ecclesiastici ac sæcularis Magistratu  
& optimatibus,

HABITA AB

ADOLPHO SCHVLCKENIO GELDRIEN. SACRO-  
sanctæ Theologiæ Doctore, & Professore, Protonotario Apostolico, Canoni-  
co Presbytero Capitulari Metropolitano, Vicario Generali, Archifra-  
ternitatis Assistente. Anno MDC. XXI. die 21. Aug.



MORTVI sunt non magno ab inuicem temporis inter-  
uallo Philippus III. Hispaniarum, & Indiarum Monarcha  
Catholicus: & Albertus Austrius Burgundiæ, & Belgicæ  
Princeps; atate dispares. sanguine, moribus, morte, &  
post mortem, vt confidimus; optamus, vouemus, aternâ beatitate

A

coniun-

Ab Alex:  
VI. Ferdinã  
dus cogno-  
men Catho-  
lici accepit  
Anno 1456.



537317

coniuncti: vterque humilis Archifraternitatis nostræ Crucifixi Iesu Protector & Benefactor; hic etiam secundum Præfectus. Pro DEVM immortalem, quales heroes! oracula prudentiæ, sacraria clementiæ, domicilia fidei, ornamenta, & specula Regum, & Principum, decora Christianitatis, propugnacula Catholicæ Religionis, antemuralia contra omnes infideles, & Ecclesiæ hostes, omnium virtutum thesauri. Familiam si quæritis; Austriaca est omnium quotquot fuerunt, suntque (Dauidicam ob honorem, & singularem prærogatiuam Christi DEI, & Domini nostri merito exceipio) illustrissima. ex qua Cæsares XII. quot ex vlla alia à primo Imperatoriæ Maiestatis exortu annis 1663. & amplius nunquam: Reges Hispaniarum, & Indiarum v. Vngariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatia VII. Potentiam, si desideratis; nulla ei par, nec Assyriorum, nec Persarum, nec Græcorum, nec illa florentissima Romanorum, nec quæquam alia. quid dico par? si telurem diuidamus in æqualia, comperiemus vnum Hispanorum Imperium viginti ac pluribus partibus Romano omnium omnino latissimo maius esse, vtpote, quod præter tot mediterraneas ditiones vniuersam terram, oceanumque ipsum ab ortu ad occasum, & ab extremis ferè finibus Aquilonis vsque ad Austri prope supremas oras circumdat, & coercet. Iustitiam postulatis? *Regnum à gente in gentem propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos attestante diuino eloquio, quod non fallit, transfertur: quantâ cum iustitia imperare credendum est, qui iam annis centum viginti nouè terrarum tertiâ partem, tot gentes tam remotas, tam dissidentes inter se, tam efferatis moribus imperio suo subiecerunt, regunt, & quasi pacificè possident: ex qua familia duo, decim Cæsares liberis Procerû suffragijs spacio 350 annorû electi: legantur historiæ, euoluantur annales, excutiantur veterum monumenta, & nihil vnquã simile reperietur. Religionem cognoscere auctis? Quis est qui omnes prope vniuerso terrarû orbe Catholicos tueretur? qui omnia sua ad conseruationem & amplificationem Religionis refert, ac dirigit? qui ipsam coronam seu dignitatem, & vitam suam Religionis tribunalis subiecit? qui tot gentes tam locis distitas, vita dissimiles, ritibus inter se dissentientes, moribus belluinis horrentes ad veræ Religionis cultum, & veneratio-*

Dion. Halicar. init. hist.

Ecc. 10.

Rodol. I. anno 1273. 9. Octobr. electus.

ratione perduxit? qui tantum expensarû profundit? tantum odiorum, & bellorum Religionistuendæ studio fluctet? qui auidior & studiosior est propagandæ Religionis Dei, quam sua potentia? qui tot vniuerso orbe loca sacra, & Ecclesias erexit? vnus quidem Philippus II. dicitur plura templa exstruxisse, quam truculentissimo isto sæculo hæresi vniuersè dissecisse, & tamen de Henrico VIII. Anglorum Rege dicitur; *Millia dena vnus templorum sustulit annus: quid tot annis in eadem Anglia, Scotia, Hibernia, Noruegia, Suecia, Dania, Gallia, Germania? Sane sub annum millesimum, quingentesimum septuagesimum sextum existisse dicuntur, per solas Indias occidentales templorum millia circiter septuaginta. Diuitias si spectetis; Nullus Rex ab orbe condito tot loca auro, argento, metallis omnibus, ac gemmis quibuslibet abundantia potitus est, nullus totius terræ ambitû imperio suo circumdedit, habens vbique portus, arces, vrbes, stationes suæ ditionis, adeo vt sol nunquã in suis ditionibus occidat, & si orbem totum circumegeris Hispani semper Imperij terras pertingas. Vultis fortitudinem, prudentiam, magnanimitatem? Considerate, an sine ijs virtutibus tantum terrarum acquiri, defendi, conseruari: tantum bellorum sustineri: tot, tam diffusi populi regi possint. Hæc iam in vnum Philippum III. Hispaniarum & Indiarum Monarcham re & nomine, Religione & Imperio Catholicum omnia hæreditaria legitima à maioribus successione confluerunt, eius virtute conseruata, & amplificata ad posteros transmittuntur. Itaque si in laudes tantorû Principû excurrendû sit, nemo nõ videt, ijs solum enumerandis neminẽ quãtauis facundia præditû sufficere. Nihilominus quia Archidux Albertus Archifraternitatis nostræ Præfectum agere secundum dignatus, & in eâ administratione mortuus est; non potuit, nec debuit Archifraternitas facere, quin ei hoc supremû pietatis & obseruantia officium grata rependeret, quod mihi impositû eo suscepi libentius quò Regi Philippo sanguine, affinitate, virtutibus ac moribus coniunctior ac similior, adeo vt vnũ alterius Idcã esse iure affirmaueris: quod assertor, amicus, vicinus huius ciuitatis & Archidiaecesis Coloniensis fidelissimus: quod meus naturalis Princeps fuerit. Cum verò omnia dici nõ queat; ea solû adferre studebo, quæ*

nobis ad doctrinam & exemplum magis profutura videbuntur. ut beneuolè & diligenter attendatis, ipsa solius nominis Alberti reuerentia non petit, sed iure suo meretur, postulat, extorquet. Magna res est, ingens bonum, diuinum beneficium bonos Principes & Magistratus præfici Reip. maius profecto, quam aut verbis exprimere, aut cogitatione etiam assequi possumus. Id ipsum etsi lumen naturæ satis superque docet, experientia omnium sæculorum confirmat, communis omnium nationū sensus loquitur: attamen nulla re ad docendum clarius, ad mouendum efficacius mihi demonstrari posse videtur, quam verbis illis Apostolis;

1. Timot. 2. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ea verba quoties ego quidem considero, intima mentis penitissimè & medullitus penetrat, comoueor corpore & animo, assurgo & erigor in reuerentiam piorum Principum, facileque perspicio multò plus eis deberi, quam non dico vulgo cognoscitur, sed à multis etiam doctis & bonis viris consideratur.

Actor. 9.

1. Timot. 2.

2. Cor. 12.

Quid enim? Apostolus Paulus, *vas electionis doctor gentium, in tertium cælum raptus, ibique arcana verba doctus, qua non licet hominibus loqui,* de viris Principibus quanto cum affectu loquitur! *Obsecro,* ait. singula verba suam emphasin, energiam, pondus, & momentum habent: singula affectum dicentis exprimunt, nobis imprimunt, *Obsecro,* per omnia sacra rogo, per infinitam Dei misericordiam, & amorem, per sanctissimam vitam, acerbissimam passionem, & mortem Christi, per omnia humanæ redemptionis mysteria, per vestram denique æternam beatitatem oro, & obtestor. *Obsecro,* non poterat inueniri verbum vehementius, non significantius. *Obsecro primum omnium,* vehementissimè, ardentissimè, diligentissimè, toto pectore, atque omni animi contentione, præ omnibus alijs, quæ rogari possunt, ac debent, sic, ut rogare amplius non possim. *Fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.* Poterat vno verbo dici, volo orari pro Principibus: & sufficere debebat, ut Apostolico præcepto præoptè pareremus: at

non

non sufficiebat pro affectu Apostoli pro grauitate rei. Itaque multis circumloquitur, idemque alijs atque alijs verbis identidem repetit, inculcat, adauget, ut altius animos nostros res ipsa peruadat, firmitus hæreat, diligentius obseruetur, & executioni mandetur. *Obsecro,* inquit, *primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro quibus? pro omnibus hominibus. unicuique enim mandauit Deus de proximo suo: at omnium potissimè, nominatim, & in specie, pro Regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt.* Ecce quantoperè pro Regibus & Principibus diuina Maiestas exoranda sit, ut impetrentur, & conseruentur. Magnum igitur beneficium, diuinum donum, boni Reges & Principes. Quare? *ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate; hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ex his istud præter cætera liquidò consequens efficitur, vniuersam virtutem, & laudem boni Principis in eo consistere, ut procuret, quò subditi *quietam, & tranquillam,* siue placidam *vitam agant in omni pietate & castitate,* in omni reuerentia Dei, & puritate, *σεμνότητι,* honestate, hoc est, *ut sine timore inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi, in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris,* seu ut mox Apostolus ait: *ut omnes salui fiant, & ad agnitionem veritatis veniant.* Hic finis est Principibus à Deo, *per quem Reges regnant,* præfixus, hæc meta, hic scopus eorum. huc qui collimat, omnia sua studia, consilia, actiones dirigit, næ iste bonus est Princeps, Deo amicus & pergratus, (*hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo.*) Deo simillimus, & proximè accedens ad eum, *qui vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Istuc qui non respicit Princeps, qui quiduis aliud eo vel neglecto, vel postposito quarit, is officium suum non facit, leges à Deo sibi præscriptas impiè transilit, & præuaricatur, contaminat terram, seruus est nequam, & infidelis. Aristoteles quidem homo & solertissimo ingenio, & exactissimo iudicio id discriminis statuit inter bonum, & malum Principem, siue inter Principem & Tyrannum, quemadmodum ipse loquitur, quod iste suis, ille subditorum comodis studeat, & reliqua omnia postha-

Chryl. Theophyl. Gagn.

Eccl. 17.

Luc. 1.

Prou. 8.

1.3. Pol. c. 5. & 1.4. c. 10.

supra ea quæ naturæ sunt, nec intellexit, neque explicare potuit, quæ sint ea commoda subditorum, quibus verus Princeps procurandis vnicè intentus esse debet: supplet gratia, quod deest nature; explicat Apostolus, quod ignorat Philosophus, docetque boni Principis esse allaborare & procurare, *vt subditi quietam & tranquillam vitam agant*, non quidem in otio & delitijs, sed *in omni pietate seu reuerentia Dei, & castitate*, seu sanctitate, honestate, & morum grauitate: *vt omnes salui fiant, & ad agnitionem veritatis veniant*. Inter eos equidem etiam qui Christiano nomine cense-ri volunt, & ad clauum Rerumpub. sedent duplex genus hominū inuenitur. Alij pro fundamento suæ gubernationis, eo administrationis *rationem status* sui ponunt, eam pro norma & regula vsurpant, huic omnia, fidem humanam, & diuinam, virtutes, Religionem, iusiurandum posthabent, & subijciunt. si iudicant ad augmentum vel conseruationem sui *status* facere, cum Turcis paciſcuntur, eosque in viscera Christianitatis immittunt, hæreses fouent, veram fidem deprimunt, mentiuntur, peierant, fœdera rumpunt, &c. Horum sunt isthæc pronunciata: *Si violandum est ius, regnandi gratia violandum est: iura, periura, secretum prodere noli: qui nescit dissimulare, nescit regnare: Legatum Reip. causa mentiri oportet. Princeps vir bonus videri, non esse debet: aliud habendum clausum in pectore, aliud promptum in ore*. &c. Hi sunt, qui se hoc tempore specioso magis quam vero titulo politicos, & sapientes huius sæculi *Weltweisen* indigitant, homines reuera perniciosi, Machiauellistæ, Epicurei, impij, athei, bestia, & monstra, immo Cacodæmones potius sub humana specie, quam homines, pestes Rerump. lernæ omnium malorum, labes, & infamia generis humani, flagella irati Dei, prodromi & ministri Antichristi. Alij vnicè saluificam Religionem, & eius obseruationem, seu verum Dei cultum, seu vt Apostolus ait, *vt subditi quietam & tranquillam vitam agant in omni pietate & castitate*, sibi tanquam scopum, finem, & vltimam metam præfigunt, huc omnia sua referunt, huic omnia postponunt: hoc est fundamentū, norma, regula vniuersi regimini s, quidquid huc facit, qualecunque sit, quantumcunque asperum & difficile, hoc amplectatur, pro-

prosequuntur, & execrationi mandant: quidquid huic contrariatur, auersantur, reiiciunt, amoliuntur, etiamsi multas molestias deuorare, multorum inuidiam & odia incurrere, principatus amittere, vitam denique & sanguinem profundere idcirco oporteat: hæc est via quam ambulant, nec ab ea declinant, neque ad dexteram, neque ad sinistra. Verè pij, verè Christiani, verè Catholici Principes, digni Imperio in hac vitâ, regno coelesti in alterâ. Id si ita est, quemadmodum verissimè est, reuera idea, norma, regula, speculum, exemplar boni & perfecti Principis est Archidux Albertus. Is diuinam Maiestatem, eiusque honorem, & gloriam: proximorumque salutem ita sibi propositam, commendatamque habuit, vt in omni vita nihil ea prius, potius, antiquius, carius habuerit: ne latum quidem vnguem ab ea vnquam deflexerit, oculos mentis & cogitationes nunquam, nec noctu, nec interdiu auerterit. In corde illi *DEVS*; in ore *DEVS*, in actionibus *DEVS*. Hæc illi assiduâ meditatio, quam factis magis, quam verbis exprimebat. *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu: Domine, quid mihi est in caelo, & a te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in aeternum: iuravi & statui custodire iudicia iustitia tua: defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam: tabescere me fecit zelus meus, quia obliuisci sunt verba tua inimici mei, &c.* Itaque apud maximum illum, & nomine, reque verè Catholicum Hispaniarum, Indiarumque Monarcham, Ecclesiæ DEI inuictum propugnatorem, & zelosissimum propugnatorem Philippum II. *curus memoria in benedictione*, educatus, & institutus, vt DEO intimiùs & arctiùs colligaretur, animum ad Ecclesiasticum statum applicauit, & *Vt lucerna accensa omnibus, qui in domo sunt luceret, nec sub medio poneretur*, à vicario Christi Gregorio XIII. Pontifice maximo inter cardines illos cooptatus, super quibus vniuersa in terris Ecclesia voluitur, purpuraque donatus. à Philippo autē Rege ad Archiepiscopum Toletanum, quæ prima in Hispanijs dignitas, nominatus ijs in dignitatibus ita se gessit, vt non tã illæ ei, quam istæ illis decus, & gloriâ conciliaret. Accesserat re-

Psal. 141.

Psal. 72.

Psal. 118.

abit in Hispaniam anno 1570.]

Matth. 2. fit Card. anno 1577.

fit Archiep. anno 1593

Mortuo Rege Henrico Card. anno 1580. Rege Emanuele, duce Vasco Gama anno 1497.

Antonius nothus adiutus a Gallis & Anglis profugatus per duces Albanum, anno 1583.

Coeptum anno 1567.

Anno 1596 11. Februar.

Anno 1596. Calet. 24. April. Ardeã mē. Maio. anno 1597. men, Mart. Ambianū.

recens Lusitania Philippi Imperio, hæreditario quidem iure, at inuita tamen, nec nisi armis domita & subacta. Gens illa inueterato ardebat odio, & æmulatione contra Castellanos, quemadmodum inter vicinos præpotentes populos fieri assolet: armis innutrita, & assueta: alijs imperare, & iura dare solita: inuentione & acquisitione Indiarum orientalium, & deuictis tot regibus, subactis regnis, atque accessione tantarum opum potens, ferox, superba, altos gerebat spiritus: iugi externi quammaximè impatiens: nec æmulus deærat vulgo gratiofus, inquilinorum fauori, exterorū auxilio præfidens, ad omnes occasiones intentus. Itaque Philippus optimus regendi Magister, & exactissimus ingeniorū, iudiciorumque æstimator Albertum Lusitaniæ præfecit, quam is tanta religione, fide, prudentia, moderatione, iustitia administravit, vt spirantes adhuc seditionum reliquias facillè extinxerit, odium antiquum & impacatum furorem in amorem conuerterit, vt Lusitania & præsentem amauerit, & absentem desiderauerit vt patrem. Restabat Belgium, in quo aliquot prouinciæ confœderatione, vt ipse vocant, inita propè 30. continuis annis difficile & perplexum bellum cum Rege gerebant, efferante & obstinante eashæresi, adiuuantibus hinc Gallis, illinc Anglis, aliunde alijs. His siue domandis, siue pacandis Albertum mittit. vt venit, fidem Catholicam miserè alibi exulantem, alibi depressam & iacentem inuenit, templa profanata, aut etiam prostrata, monasteria diruta, aut saltem deserta: ingemuit, tantumque impietati licuisse piè indignatus succurrere festinauit; festinantem distinguere bellorum tempestates vndique detonantes. Hinc fulmen belli Henricus IV. Borbonius: inde Anglia: illinc confœderati acriter instabant, hostes potentes, bellicosi, exercitati, inueterati, multorum auxilijs fulsi. Opponit se vnus Albertus omnibus, Gallis Caletum, & Ambianum, duo maxima regni Franciæ decora, item Ardeam: Confœderatis munitissimū propugnaculum Hulstum eripit; idque admiratione & amore suarum virtutum breui effecit, quod fieri posse nemo credebat: arma virtute compescuit, omnia amore sedauit. Gallos & Anglos ad pacem pertraxit, ostenditque Religione nihil esse tum fortius tum amabilius. Interea Philippus Rex ab omni æuo omnium maximus, annorum sator, mortali

talitatem pertæsus, fastiditis mundi regnis aspirat ad coelestia, dumque componit se itineri in alium meliorem mundum, & vasa colligere cœpit, de liberis & hæredibus suis: de hæreditarijs regnis, & prouincijs disponendis sollicitè deliberat. Præceteris autem Belgium animo obsetuatur, doletque prout sincero Dei amore totus ardebat, in eo non minus Religionem, quam suum imperium periclitari, & pessundari. Itaque auitæ simul fidei & paci restituendæ commodissimum ratus Albertum Belgio Principem, Alberto filiam suam Claram Eugeniã Isabellam lectissimam, omni que virtutum genere ornatissimã heroinam à multis antea maximisque Principibus ambitam, Alberto verò diuinitus reseruatam, & morum honestate, vitæque sanctitate simillimam coniugem dedit. Cogitabat enim imitatione magni illius, & amatissimi Euægelici Patris familias; *verebuntur liberos meos.* Quid hic Albertus? Aliud constituerat, lacris se mæcipauerat, virginitati deuouerat: Contra Clementem 8. Pontifex religiosissimus iuxta ac prudentissimus hortator aderat, dispensationem ex potestate diuinitus sibi concessã offerebat: Philippus Rex Pater, quo morti eo immortalitati iã vicinior incitabat: Filius & hæres astipulabatur: Belgium verò supplices manus tendebat: opem adpostulabat: inde omnes spes suas, omnem salutem suam & incolumitatem tam animæ, quam corporis pendere lacrymãtibus oculis contestabatur. vicit tãdem bonum commune, vicit zelus Religionis, Albertum aliàs inuictum vincere solitus: purpuram quam propter Deum susceperat, propter Deum deposuit: statum Ecclesiasticum, quẽ pro Religione assumpserat, propter eandem deseruit, paratus quiduis facere & pati dummodo promoueretur honos Dei, & salus Reip. Christianæ: his duobus fundamentis immotis reliquam fabricam vniuersæ vitæ, & omnium actionum suarum superstruxerat. Redit cum nouã sponsã suã in Belgiũ, Deus bone, quàm afflietum, quàm perturbatũ, quot difficultatibus implicitũ! Illinc ferox hostis insultabat, hinc seditiosus miles tumultuabatur, istinc inter Procere odia intestina & simultates gliſcebãt, nec facile erat discernere, vnde plus periculi: Belgium quondã verè bellũ, hortus deliciarũ, paradus voluptatis, sedes

Nuptæ per actæ Anno 1599.

Matth. 21.

Anno 1598. it. Iul. in templo B. Virg. Hal-len.

Anno 1599. 5. Septemb.

Ann. 1600.  
2. Jul. in  
proelio  
Flandr. ad  
Neoportū.

author fidei, antiquæ probitatis: nunc hæresibus rebellio nibus, bellis deformatissimum, exhaustum, elanguidum, squalidū, sentibus obsitum, omni prope decore amisso sese offerebat. Non despondet animum magnanimus Heros, ybiq̄ue accurrit, solatur medetur, adiuuat, deperdita restaurat, amissa recuperat nutantia confirmat, & corporis etiā sui obiectu honesto insuper aduersa facie accepto vulnere patriam defendit, hostem repellit. ostendam triennali obsidione domat. Rhein-Bercam, VVachtenduncam, Craçouiam, Grollam, Lingam, Oldenzaliam, Lochemum, &c. munita oppida expugnat, seditiones componit. Nec inter lituos & tybas Religionis obliuiscitur, cuius tacita vix penitiūs animo, quam tuba auribus insonabat, sed indefesso studio, inuictoque robore id perfecit, vt ea depressa erigeretur, derelicta resumeretur, malè culta coleretur. Itaque Ecclesijs meritis simos præfules præfecit, latentes Pastores reuocauit, dubios suo exemplo confirmauit, tepidos inflammauit: quidquid sacrilega impietas deuastarat, magna liberalitate restaurauit. quidquid insolentia belli iacentibus legibus oppresserat, magno pietatis & iustitiæ ardore reduxit: gestiunt iustitia eius Ciuitates: pietatem sensu quodam sacræ ædes percipiunt: vniuersa patria Principem suum tãquam thesaurum virtutum omnium veneratur, tanquam Patrem amplexatur. Magna sunt Auditores, quæ dictæ, magna profecto, & rara, ac multo plura silentio inuoluimus. Quis enim tam disertus, qui latentem in animo Religiosi Principis pietatem, intimi cordis ad Deum suspiria, & occultos gemitus, continuatas integris noctibus eiaculationes & preces digne commemorare queat? quis tã sagaci mente præditus, qui immensum illum prudentiæ thesaurum in pectore reconditū perscrutari, qui illam ordinatissimam consiliorum annexionem inuestigare? quo maturitatem in dicenda sententia, iudicium in concludendo, promptitudinem in exequendo, constantiam in defendendo enunciare? Quis illo castior? quis fidei maritalis obscruantior, qui non modo nulla, ne apud hostes quidē incontinentiæ suspitione laborauit; sed neque nisi id bonū commune iure suo postulasset, vxorē duxisset, par coniugū foelix & beatum, atque ad omnē posteritaiem, memotabile Albertus & Isabella,

inter

inter quos nulla zelotypia, dissentio, murmur, suspicio, querela: mutus amor, reuerentia, obseruãtia tanta, quã maior inter homines reperiri non potest, quæ assiduitate non viluit sed creuit, familiaritate non est labefactata, sed confirmata: nunquã quod vni placuit, alteri displicuit: nunquã quod vnum oblectauit, alterum cursit: vnum amborum velle, vnū nolle, vt non tantum vnum corpus, sed & vna anima dici & videri potuerint. *Serenissima Princeps Isabella*, potentissima Herois, tot tantorumque Angustorum Cæsarum, Catholicorū Christianorūque Regum longa seriè digna propago, tu vniuersum orbem in stuporē, & admirationem pertraxisti, postquã audiuit cum quanto affectu, sedulitate, humilitate, animi promptitudine, suauitate, longo tempore languentia noctu & interdium astiteris, ministraueris, solatio fueris, nec vigilijs, nec laboribus vllis peperceris. Fortu nati coniuges, omnium coniugū exemplar, tanto conspectius, quanto viri Principes hac in parte magis sunt lubrici, non Tiberij, Caligulæ, Herenes, Heliogabali duntaxat, & similia portenta; verum etiã multi Christiani, addo etiam aliàs laudati. Quid de temperantia & sobrietate dicam? quem nemo ebrium vidit, qui ebrietatem cane peius & angue odit, qui ieiunia non Ecclesiastica modo sanctè inuiolateque seruauit, sed & spontanea domandæ carni, & placando numini religiosè assumpsit? quid grauitatem in dictis, moderationem in factis, compositionem in gestibus, magnitudinē animi percenseam? quem nec res prosperæ vnquam extulere, nec aduersæ depressere, quem si intuereris, nec in latis hilariorem, nec in tristibus mœstio rem cognosceres: eadem constitutio cordis, eadem hilaritas frontis, perpetuum & maximum bonum securæ mentis, seu: vt ita loquar, timorata conscientia? qui pericula nunquam vbi res postuleret, subterfugit, labores non declinavit; murum se pro lege & grege inuicti animi robore, & perpetuo vitæ tenore opposuit? Clementiam, benignitatem, mansuetudinem quis explicet? nullus hostis maiorem vnquam experiri, exspectare, optare potuit, tam ab vltione alienus, vt priuatam iniuriam nunquam; publicam vero Dei & Reipubl. sic vindicauerit, vt nec impunitas constaret delicto, & necessitas seueritatem

Annus peter  
nus Carol.  
V. Pater  
Philipp. II.  
annus Mater  
nus Henricus  
II. Valesius  
Rex Gall. mater  
Elisabetha  
&c.

B 2

cx-

extorsisse videretur ab inuito. Quis iustitiæ & datæ fidei aut rigidior exactor, aut exactior obseruator? qui fidem datam nec bello, nec pace, nec inducijs, nec vlla alia quacunque & qualiscunque occasione vel leuiter preuaricatus ne ab hostibus quidem dicitur. Quid multa? Magnus Princeps, prudens, & experientis qui multorum hominum mores cognouit & vrbes hoc ei iã mortuo & coram ijs & eo loco vbi adulandi nec vtilitas, nec suspicio, testimonium perhibuit, *Multos se nouisse maximos, magnos mediocres, Principes, sed qui sibi in omnibus satisfecerit, præter Albertum, neminem.* Magna laus à viro laudato. His virtutibus Deo gratus, vniuerso orbi amabilis & venerabilis effectus est, nec angulus reperitur, siue citimus, siue remotus, quo non fama, amor, admiratio virtutum Archiducis Alberti peruaserit. Ita factum, vt cum Albertus inuenerit Belgium vndique bellis diuturnis sine cessatione oppugnatũ, quassatum, deformatum, bella tandem omnia sedauerit, odia alia extinxerit, alia suppresserit. Iam supra audiimus, quomodo in Belgas nobilissimum Franciæ regnũ arma distrinxerit, odijs implacabilis Anglia insurrexerit, ipsum in Belgiũ in se armatũ fuerit, quibusdam prouincijs confœderatione, vt ipsæ vocant, in itã optimo Principi suo peruicacitè rebellantibus. Gallia mox sub aduentum Alberti, Anglia: liquanto post, pacem fecere, & manifestum reddere Alberti virtutem, & prudentiã armis, odijsque maiorem esse: restabant adhuc prouinciæ confœderatæ & obstinante eas hæresi quantã potuerunt contentione pectora obfirmare, quod in eorum potestate fortè essent arma, & armorum consilia, quibus bellum, quam pax plus lucri afferebat, quos calamitas popularium nihil mouebat, vix contingebat, qui partim prauã institutione, partim naturã sectæ cui velut sirenijs scopulis adherescunt nihil moderatum sapere didicerant. Sed quid tandem? Peruicit virtus Alberti, & virtutis reuerentia, quæ arma omnia hebetavit, consilia belli dissipauit, mauortios animos ad pacẽ, ad quietẽ inflexit: *mare vidit & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum,* Demum duodecennales induciæ conclusæ sunt. Quis hoc vnquam credere, quis sperare ausus fuisset? citius quis cœlum ruiturũ iurasset, quàm vllam inter sic dissidentes

Psal. 113.

Anno 1609

14. April.

non

non dico concordiam coalescere, sed concordie tractationem suscipi posse. *Quis enim extrahere poterit: Leviathan hamo, & fuisse ligare linguam eius? quis ponere circulum in naribus eius, aut armilla perforare maxillam eius?* verum experientia compertum, quod inuia virtuti nulla est via. Nimirum sic natura comparatũ est, vt virtus omnibus sit venerationi, & si homines ita diabolico fascino dementati inueniantur, qui virtuti se non incuruent, aur submittant, tamen omnes aliæ creaturæ diuina directione ei non possunt non se submittere: sed & est quædam virtus sic excelsa, & eo gradu perfectionis constituta, vt omnem inuidiam transcendat, omni odio superior sit, nec æmulatio ad eam pertingere possit, sicut montes quidam esse dicuntur ita alti, vt nec pluuia, nec nix super eos cadat, nec vllis tempestatibus aut ventis obnoxij sint, sed capita supra nubes attollant. Si enim verum est, quod verissimum esse diuinarum litterarum monumenta docent, & de quo salua fide Catholica dubitari nõ potest; quod *Zelus Dei armet omnem creaturam ad ultionem inimicorum, & pugnet orbis terrarum contra insensatos:* quid mirum est; si omnis etiam creatura Deo factori deseruiens lenior sit ad benefaciendum pro his, qui in eum confidunt, & deseruiat omnium nutriti gratia ad voluntatem eorum, qui ab ipso desiderant? & si iusti ambulat super aspidem & basiliscum, & conculcã leonem & draconem: quod mirum, si homines quantumuis feroces, sæui, truculenti, tandem virtuti assurgant, inclinentur, cedant? Coaluere igitur duodecennales induciæ, & sanctè inuiolateque vtrimque seruatae fuere, quod hinc præstitit fides, quæ in pectore Alberti aliunde exful resederat, & domicilium fixerat: illinc reuerentia, & admiratio, adeo vt nunc etiam finitis inducijs, quasi mutua conspiratione arma nihilominus cessauerint, ac si reuerentia tantarum virtutum stuporem contraxerint, atque erubescant virtutum omnium arcem oppugnare, & lacescere. Iam ætas vergebatur ad senium, corpus curis, vigilijs, pijs exercitijs emaceratum erat, accedebat nodosa podagra magnorum parens dolorũ. Nimirum Deus aurum suum ad purum excoquere, & tanquam in fornace probare voluit, vt vniuerso mundo innotesceret, quantum in hoc genere solida virtus possit. Patientia post caritatem

Iob 40.

Sap. 5.

Sap. 16.

Psal. 90.

Sap. 3.

B 3

fu-



suprema inter Christianos est virtus, Nam caritas quidem omnium confessione regina, vita, anima virtutum est. *Caritas* vero à S. Paulo dicitur primo loco ante omnia *patiens*: igitur aut germana soror secundò genitæ, aut legitima filia primogenita caritatis patientia, sic tamen vt indissolubili ei nexu adhæreat, nec altera sine altera existere queat. Perfectionis apicem conscendit, tenet Christus, sine controuersia, sine æmulatione: nemo transcedere, & nemo vlla in re adæquari potest: *ipse primum tenet in omnibus*: perfectus qui cum quadatenus imitatur, ad eum qua datum accedit, perfectior qui magis imitatur, qui propius accedit. Iam in ipso imitabimur, in quo accedemus ad Christum? *Christus*, ait Apostolorum Princeps, *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius* Quare qui maxima patietur, is proximè sequetur vestigia Christi. Hinc Doctor gentium exclamat; *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi. De cetero nemo mihi molestus sit: stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto: libenter glorior in infirmitatibus meis.* quin vt probet se magis esse Christi Ministrum, quàm cæteros, sic argumentatur; *Ministri Christi sunt, & ego, (vt minus sapiens dico) plus ego.* Cur Paule? Audite continuò subiicientem: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas vnà minus accepi: ter virgis casus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus saepe, & quæ sequuntur. Nobis enim est locus. Ita Paulus, vt se & Ministrum Christi & præ alijs esse apertissime ostendat. Ipsi etiam sapientissimi Philosophorum, cum plures esse fortitudinis partes definiuerunt: eam plurimi fecerunt & maxime laudauerunt, quæ in tolerandis aduersis, sustinendisque acerbissimis quibusque rebus spectetur. Iam quis referat, patientiam Archiducis Alberti? Conflctatur cum acerrimis doloribus non dies, non menses, sed annos aliquot, & sic conflctatur, vt vir Princeps oculatus testis antebiennum dixerit: *Archiducem Albertum non virtute natura, sed diuina, & miraculo viuere.* Expertus, potest credere quàm acres, quàm incensi sint illi dolores. Nec simplex genus morbi Cohors potius morborum. Quid igitur Albertus? sanè*

1. Corint. 13.

Coloss. 1.

1. Petr. 2.

Galat. 6.

2. Cor. 12.

2. Corint. 11

nè ac si corpus nihil ad ipsum. ita anima in corpore præmortuo viuida, vegeta, sibi præsens. Itaque exemplo ostendit, *In patientia possideri animam.* Nulli petenti sui copiã negabat, omnia consilia ipse dirigebat, negotia pacis, & belli disponebat, nullum negotium publicum negligebat, nihil de contentione animi, de precibus, meditationibus, alijsque pijs ac spiritualibus exercitijs remittebat, sacramenta Confessionis & Communionis cum summa, tenerrimaque deuotione identidem frequentabat, processiones SS. Sacramenti sanè quando poterat, & quando vix ac ne vix quidem poterat tædam ardentem manu ferens obibat, ad humilem tanti mysterij venerationem amplitudinis augustissimæ suæ familiæ, virginem & parentem à Maioribus hæreditaria pietate acceptã sese indies magis ac magis incendebat, atque inflammabat, vt vix sine lachrymantibus oculis, & quin cor intimè colliquefceret, aspicere posset; erga acerbissimã verò seruatoris nostri passionem cum tanta amaritudine suauitate mixta afficiebatur, vt ea continuè in corde, in ore frequenter: vt propter viuã eius repræsentationem summo eum desiderio, & ardenti pierate sine vllius diei prætermissione tremendo Missæ sacrificio assisteret, *in quo scires dispensari victimam sanctam, qua deletum est Chyrographum quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est hostis computans, delicta nostra & quarens quid obijciat, & nihil inueniens in illo, in quo vincimus:* vt cum esset à Nobis electus Præfectus humilis Archifraternitatis Crucifixi Iesu, non modo non sit aspernatus, aut dedignatus; sed humanissimè pijs meque lubens acceptãrit, etiã gratias egerit, idque non vnis litteris clementissimè ad nos scriptis, & à Nobis ad omnè posteritatis memoriã pro eo ac decet reuerentèr asseruatis contestari voluerit; & magnifica sua erga Conuersos & alios nostros liberalitate benemereri de ea studuerit. Virginem Matrem cõmunè humani generis aduocatã in peculiarè sibi patronã optauerit, & tanquã Parentem DEI sui, reginã cœli assiduè venerabatur & inuocabant, & ad eã in aspero colle, vbi Diuinæ Maiestati ad Matris suæ honorem, & intercessionem diuersa ac rationũ dona & Charismatũ munera nobis miseris mortalibus identidem conferre placet, peregrinari quam diu vixit non intermisit.

Luca 21.

De Rudolpho I. adhuc Habspurgi chro. Comite vide Tigur. Franc. Guil. orig. Austr. l. 6. cap. 4. Geor. Scherer conc. 3. de SS. Triu. Aug. Confess. l. 9. ca.

13.

Ad

Ad summam in omni genere pietatis, & exercitio veræ Religionis hoc caliginoso & exulcerato saculo, tãquam lucerna ardens & lucens præfulsit, vt cum hæc tempora aliàs sint miserissima, tamen hoc ipso felices simus, & nobis gratulari possimus, tam zelosos, pios, omni virtutũ genere excellentes nobis Imperatores, Reges, Principes obtigisse. verè omnia iamdiu extremam mundo, ruinam minitari videbantur nec impediri, aut auerti posse videbatur, quin cuncta sursum ac deorsum ferrerentur: Sed hæc sunt illæ columnæ quæ labatẽ sustinuerunt, & vique nunc Dei gratia sustentant. Tu Deus Opt. Max. *confirma columnas eius.* Ad finem properantem, atque ideo plurima silentio transilientem vnum Alberti facinus remoratur, nec se tacitum præteriri finit, quod tale est ac tantũ, vt non dubitem quin vniuersus orbis admiretur & stupeat, gratãq; posteritati maiori admirationi, ac venerationi futurum sit. Scitis Auditores quãta sitis, honorum omnibus hominibus dominetur. non acrius exastuat Aethna flãmis, quàm mortaliũ mentes regnandi libidine, *quid non mortalia pectora cogis* regnãdi prædita fames: Quid non faciunt homines amore Imperij? quæ non bella suscipiunt? quæ non scelera patrãt? quas non calamitates & inferunt, & patiuntur? Confundunt naturã & iura. pessundant leges, perdunt prouincias, loca sacra, templa, Monasteria deuastãt, Religionem mutant, se, suos, & sua periclitantur, orbẽ terræ in bella cient, *flectere si nequeunt superos, Acheronta mouent,* cum hereticis, Turcis, barbaris foedera ineunt, societates contrahunt, amicitias colunt, parricidia peragunt, *Filius ante diem patrios inquiri in annos,* parentes filiis quam in regna dederant, obregna vitam adiungunt, fratricidia ludi sunt, & consuetudine recepta. Dulce omne periculũ, omne scelus per quod peruenitur ad regnũ. Ad summam nullũ ius adeo sacrosanctum siue diuinum siue humanũ, siue propinquum, siue remotũ, qualecunque, quantumcunque, quod non regnandi gratia violetur, ac violari quasi honestũ habeatur. *Victori enim fauent leges.* Nec existimo vllũ genus peccati esse, vel quod magis delamiat in genus humanũ, vel ad quod hoc magis propendat, siue instinctu eius, qui dicebat in corde suo: *In cælum conscendam, super astra Dei ex-*

*altabo solum meum, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* siue hæreditaria quasi successione eorum qui affectabant esse *sicut vj scientes bonum & malum.* Quomodo Albertus hic se habuit? Non aliter sanè quam decet cum, quem Deus proposuit ideam & exemplar perfecti Principis. Mortuus est anno ab orbe redempto post millesimum sexcentesium duodecimo Alberti Frater germanus Rodolphus Cæsar; deuenitur ab Imperij Septemuiris ad Electionem noui Cæsaris: erant, quibus alterius fratris Matthiæ actiones & studia & displicebant, & suspecta erant: Ideoque in Albertum vndequaque probatũ, magis propendebant, hunc Cæsarem, quam illum malebant. Albertus tantã illã familia natus, Isabellæ Hispaniæ matrimonio iunctus, heros alioqui maximè magnanimus, & periculorum contemptor, pro sua prudentia præsentens exoriturum inter fratres implacabile odium, apertum ac datum iri ostium hæresibus, occasionem Turcis Germaniam subiugandi, Christianam Religionem extirpandi, & quæ inde consequi mala necesse est, pro sua religione, & zelo communis boni abnuit, renititur, eligiturque Matthias Cæsar, non minore fratris Alberti, quam propria voluntate. Memorabile exemplum & inusitatum: sed non hic sistit, aut quiescit Alberti virtus. Præuidebat facile vix posse fieri, vt Matthias Cæsar diu superesset, eo è vita sublato ad ipsum hæreditario iure deuolutũ iri coronas Vngariæ & Bohemiæ, prouincias Austriæ, Silesiæ, Morauia, Lusatia, Tyrolis, &c. Imperium Romanum tã fauore & suffragio Principum Electorum rectè sentientium, quam necessitate quadam sibi delatum iri. Magna tentatio generoso in pectore, alto in stemmate, si in Albertum tentatio cadere potuisset. At ille maiore & excelsiore animo honorum huius mundi satur, de bono communi & salute publica vnicè sollicitus in Ferdinandum Stiriũ patruelem sanguine, pietate filiũ, omnẽ fauorem suum, omnẽ ius suũ spontè, absolutè, liberè transfert, à se abdicat. O magnum, ô rarum virum! Commendatur iure S. Thomas Aquinas quod refutauit oblatos sibi Episcopatus: commendatur iure Albertus Bauarus, quod coronam Bohemiæ alij hæreditate debitam, sibi à rebellibus & hæreticis oblatam repudiavit: commendandus certe Maximilianus Bauarus Princeps,

Genes. 3.

Anno 1602.  
feria 4.  
Pent. 4. Iun.Naucl. ge-  
ner. 49.

reli-

religiosus, prudens, bellicosus, victoriosus, quod à quibusdam inuitatus ad capeffendum Imperium fortiter, constanter, piè abnuìt: At Albertus omnes meritò suo anteit, transcendit, qui non Imperium duntaxat, quod vt sperare, & suo modo pratendere, sic & incerta Electorum suffragia timere poterat: sed & duo regna, peramplasque prouincias sibi iure debitas, & hæreditate deuolutas à se abdicauit, in alium transtulit. Videmus igitur quam instituto suo quod semel piè sibi proposuerat firmiter inhæserit, institerit, ab eo nunquam siue ad dexteram siue ad sinistra declinauerit. Honorem Dei, salutem Reip. Christianæ sibi in suis consilijs & actionibus metâ, normam, regulam præfixerat, quidquid occurrit ad istâ normam direxit, iuxta istâ regulam dimensus est, Postulabat honor Dei, & salus Reip. vt Ecclesiasticum statum amplecteretur, amplexus est: postulabat vt statum mutaret, ad sæculum rediret, matrimonium contraheret, principatum Belgicum assumeret, mutauit, redijt, contraxit, assumpsit: postulauit vt arma indueret, induit: vt vicissim deponeret, deposuit: vt Coronam Romani Imperij recusaret, recusauit: vt Coronas Vngariæ, Bohemiæ, Austriæ, Silesiæ, Morauia, Lusatiæ, Tyrolim, &c. hæreditarias & auitas prouincias abdicaret, abdicauit. Quid hic dicam? Desiderat ista res alium præconem: mihi verba, vox, latera deficiunt, sed nec cogitatione satis assequi possum. *Nec enim virtus alius ire potest.* Hic nuntialis ac tantus Princeps, cheu, mortuus est. durum fatum: crudelis Parca. Scilicet vnum hoc nostris calamitatibus decrat, vt qui suorum meritum fulgore eas vtunque dispelleret, & labentia sæcula sustineret, peccatis nostris sic exigentibus etiã nos importuno tempore defereret. Mortuus est Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Princeps Belgicæ Albertus. Audito isto nuncio subditi dolore propè exanimati sunt, iamque vitam suã sibi minus habent carã amissò eo qui vitam ipsis conseruabat; pro quo vitã profundere parati erant, ideoque suã tuebantur, vt haberet quam suo tempore pro optimo Principe, vero Patre patriæ profunderent, cuius vitam sua morte si possent, redimerent. Iam vobis audito solo nomine, Aud. dolor renouatur, oculi lacrymis manant, facies mœore pallet, atque intima viscera comouentur, cœlum ipsum & ele-

menta omnia videntur condolere, turbari, illacrymari: aut certè occasum tam placidi sideris minus esse propitia: hostis ferox, odio obstinatus, & qui suam infamiã non nisi Principis sui infamia tege- re potest, dolet, dolorem fatetur, virtutem defuncti laudat, admiratur, stupet, & licet finitis inducijs, tamen reuerentia nominis adhuc quiescit. At quomodo mortuus? sanctissimè, piensissimè, felicissimè. Non enim malè mori potest, qui semper bene vixit: iustè vixit, iustorum morte mortuus est. Mortuus est mente verã fide illuminatissima, spe erecta, caritate inflàmata: in maxima patientia, in inuocatione Dei viui & veri, in fiducia & assidua recordatione meritorum, & acerbissimæ passionis I. C. D. N. in veneratione Sanctorum firmata & radicatã, tanquã obedientissimus Ecclesiæ filius, præuia accuratissima peccatorum anteaactæ vitæ non sine ingentibus lacrymis, & corde contrito exomologesi, munitus viatico pretiosissimi corporis & sanguinis Christi, *pane illo viuo & celesti quem qui manducauerit homo, non morietur in aeternum, & si mortuus fuerit, resuscitabit eum Deus in nouissimo die.* delibutus sacro oleo extremæ vnctionis, ne quid reliquiarum ex peccatis superesse posset. Nouistis, Auditores, & fama & aspectu venerandum illum, & beatum virum P. Dominicum Ordinis PP. Excalceatorum, qui hac transiens Bruxellam festinatò contendit, diuino utique instinctu, vt tam pio Principi, tam pius Pater in supremo illo agone piè assisteret. Is beatus vir magno & zeloso Principi, Princeps meæ tenuitati apud suã Sereniss. Celsitud. legatione fungenti sincerè ac fideliter retulit *Archiducem Albertum ita ex hac lacrymarum valde* Ioanni. 6.

*decessisse,* vt mors eius non viris principibus, aut alijs hominibus secularis status duntaxat; sed & viris Religiosis, & professione ac voto acquirendæ Euangelicæ perfectionis obstrictis, & exemplo & in votis esse queat, ac debeat. Mortuus est mundo, vt viueret in cœlo, creptus est nobis, vt adderetur superis, & sic mortuus est, vt intuenti facile appareret animam ad aliam vitam longe beatiorum properare: sic enolauit, quasi solutus vinculis huius terrenæ molis sponte sua alis geminæ caritatis cum ingenti desiderio pertaxus diuturnioris incolatus ad eum pergeret, qui cum creauit, redemit, beauit, iamque è cœlo mortalia despicens, & nostras calamitates miserans Diuinam Maiesta-

1. Petr. 4.

S. Aug. 1.9  
Conf. c. 13.

tem sua nobis prece exorat, & placabilem reddit. Itā quidem confidimus, optamus, vouemus: at nihilominus quia diuinæ litteræ identidem nobis inculcant, *Iustum vix saluari*: & magnus Ecclesiæ Doctor seridè & non sine gemitu exclamat; *Va vita hominum laudabili, si remota misericordiâ discutias eam Domine*. idcirco ne vllum officium debitæ caritatis, pietatis, reuerentiæ, obseruantia omittamus, decreto Archifraternitatis nostræ triginta continuos dies in hoc oratorio sacrum Missæ officium, & præterea trecentas Missas celebrari curauimus, hortamurque, oramus, & obsecramus vniuersos & singulos tam seculares quam Ecclesiasticos, vt in sanctis suis sacrificiis, & precibus Archiducem Albertum Belgicæ Principem sibi habeant. Deo reddant quam commendatissimum.

## SYNOPSIS VITÆ HÆC EST.

**A**LBERTVS VII. Austriacus, Rodolphi II. & Matthiæ Cæsarium germanus Frater, Ferdinandi II. Imp. Patruelis. Maximiliani II. Imp. & Mariæ, quæ max. Imp. filia, vxor, triū Imp. mater fuit, filius: Ferdinandi I. Imp. Nepos; Philippi I. Hispaniarū & Indiarum Regis Pronepos; Maximiliani I. Imp. abnepos: Friderici III. al. IV. Imp. atnepos, qui Fridericus Rodolphi I. atnepos fuit, Burgundionū & Belgarum Princeps Serenissimus ac potentissimus, verè pius, verè pacificus, natus in ciuitate noua Austria anno 1559. 13. Nouembr. Anno 1570. cum sorore Anna in Hispaniam abiit, anno 1577. Ecclesiasticum statum suscipit, à Gregorio decimo tertio Cardinalis titulo S. Crucis Hierosolymitanæ creatus. anno 1583. à Rege Philippo Hispaniarum & Indiarum Monarcha Patruo & affine Prorex Lusitaniæ constituitur. anno 1589. Vlyssiponem contra Antonium nothum regni æmulum, & Dracum piratam summa fortitudine, prudentia, vigilantia defendit, Anno 1593. à Rege Madritum euocatus Archiepiscopus Toletanus, & Hispaniarum Primas designatur. Anno 1595. defuncto fratri Ernesto Successor, Belgij Prorex constitutus ex Hispania discedit, & anno 1596. 11. Februarij Bruxellam ingre-

ditur, atque statim in hostem progrediens incredibili celeritate Gallis Caletum, urbē, quam olim Anglorum iactantia inexpugnabile reddiderat, & Ardeam: Hollandis Hulstum eodem adhuc anno; sequenti Ambianum iterū Gallis eripit. Anno 1598. 7. Iunij cum Gallis, pacem sancit: eodem anno 13. Iulij voti ergo ad ædem B. Virginis Hallensis toto orbem miraculis celebrē profectus, purpuram, & galerum deponit, enseque & baltheo accinctus clericali militia renunciat, & 14. Septembris Itabellam coniugem Philippi II. Regis filiam, Caroli V. Imperatoris Neptem, Philippi I. Regis Hisp. Pronepem, Maximiliani I. Regis abnepem, Friderici 3. atnepem coniugem ducturus in Hispaniam proficiscitur: Philippo Rege pridic, qui dies Dominicus erat, hora quinta matutina in Christo piè defuncto, peractis ritè nuptijs anno 1599. 5. Septembr. Bruxellam reuersus Belgarum Prouincijs inauguratur. Anno 1600. Ipsa visitationis Beatæ Virginis Matris vario euentu cum Hollandis in Flandria ad Neoportum pugnat, honesto vulnere in interritæ fortitudinis testimonium aduersa facie accepto. An. 1601. 27. Nouembr. iterumque anno 1603. 5. Nouembr. Siluam Ducis obsidione liberat. anno 1604. 22. Septembris opera Ambrosij Spinolæ Marchionis Venafrani Ostendā plusquam triennio obsessa potitur, eodemque anno cum Iacobo magnæ Britannia Rege pacem facit. Anno 1606. Rhenibercam, VVachtenduncam, Cracouiam, Oldenzaliam, Lingam, Lochemum, Grollam recuperat, anno 1609. 14. April. cum ordinibus Confœderatarum prouinciarum duodecennales inducias post bellum 48. an. paciscitur, & sanctè seruat. Anno 1614. auctoritatis Cæsareæ, & pacis publicæ asserēdæ zelo Aquisgranum sub sui Cæsaris obedientiam redigit: Principem Neoburgicum à suo corruiali & Confœderatis Ordinibus deceptum in protectionem suscipit. Duram Caroli V. expeditione claram & quidquid ferè oppidorum ab ista parte Rhēni VVesaliam vsque, & postea ipsam urbem fortissimam, Batauorum vt ferebatur destinatum armamentarium; ipsis spectantibus, postea Susatum & Lippiam incredibili celeritate occupat. Anno 1620. inferiorem Palatinatum, quod Palatinus Elector Cæsari rebellis Coronam Bohemicam capiti suo indebite imposuisset, & in-

Sancita Veruini, vnde dicta Veruinenfis 7. Iunij publicata 8.

gens bellum concitaret, inuasit, Principes correspondentes non depugnare ausos fregit, & ad honestam pacem coegit. Mortuus hoc anno 1621. die 13. Mensis Iulij paulo post horam duodecimam pomeridianam, vixit annos 61 menses octo.

Anno InCarnationis Verbi Dei ple Mortuus est,  
r ALbertus AVstrIaCVs, BVrgVnDla, aC BeLgICA PrInCeps InCLL-  
Verè paCIFICVs, pIVs, sanCtVs, VICtor losVs. (sVs,

Isai. 3.

IVsti DICite IVsto, qVoniaM bene.

Et qVlsqVIs es CathoLICE, &amp; benigne LeCtor ora, reqViesCat In paCe. aMen.



# ALBERTO PIO, IMPERATORVM

Cognato, Fratri, Filio, Nepoti;  
Imperatori & ipsi,  
Nisi, quòd noluit;

Regum quoque  
Genero, Filio, Nepoti;  
Archiduci Austriae,  
Duci Burgundiae,  
Belgarum Principi;  
Patri Patriae,

Inclyto  
Belli gloriâ, pacis studio,  
Iustitiae cultu, pietatis affectu,  
Abeunti è terris

Hoc Epicedio  
Archifraternitas Crucifixi apud Vbios  
suo II. Praefecto, Suo Columini  
Lacrymans  
Dicit: Vale.

**V**idenim Tibi minus nos, Principum  
sol, Princeps, maior, dicam, an melior?  
imò melior, cum sis maximus, quid Ti-  
bi minus nos, Tui Fratres (liceat dice-

2  
rè, quādo tam isto superbo nomine ipse dignari  
voluisti nos, familiam pauperis Crucifixi) quā  
vt tristem terris, et si lætum coelis, abitum Tuum  
prosequamur voce mœstā, voto pio, gratis lacry-  
mis? Non lugeamus? Et hostes dolent, invidiæ  
Mortem & festinationis accusantes, quod AL-  
BERTVM abstulerit, quamvis senem. Nubium quo-  
que diurnus ille tam tempore non suo fletus ali-  
ane causā fluxisse credendus est, quā quod abijt.  
ALBERTVS Pius? O Pietas, quare properasti? an-  
helabat Ille cœlo tuo, & iam olim merebatur: sed  
illa mora turbatis afflictissimi (eheu) mundi rebus  
salutaris, imo necessaria, vtrique domui tuæ, O  
Pietas, quā erat utilis, quā decora, sive quam  
cœlo habes, siue quam terrā! Tolli sineres vel cen-  
tenarium, illud amabile tibi inter homines cubile-  
tuum? normam Principum, Ecclesiæ columen,  
Hæreseon obicem, Fidei propugnaculum, Reli-  
gionis asylum, calcar Virtutis, frenum Nequitix,  
Pupillorum gremium, peculium Pauperum, Iu-  
stitiæ speculum, Castimonix decus, Temperantiæ  
specimen? Sic res habet: non hæc amoris magis,  
quā veritatis verba sunt. Ita vixisti, *Princeps op-  
time*, ita desijsti vivere, vt laudū Tuarum præconi-  
bus quamcunq; diffusis & inundantibus nullū ve-  
niat.

3  
niatā falsitate periculum; cū antè ipsa quoque se  
eloquētia consumtura sit, quā pro vero dignoq;  
de Te dictura. Nā quibus olim laudatissimi quiq;  
præsides populi Dei virtutibus eminebāt singuli,  
Tu vnā omnibus: patientiā Iob, māuetudine Mo-  
ses, incorruptione Samuel, sanctitate David, sapiē-  
tiā Salomon, Ezechias Zelo, pietate Iosias, fortitu-  
dine Iudas. Nihil opus probatu: Mūdus universus,  
quā catholicus, conscius est & agit testē, illā maxi-  
mè portio fidelis populi, quæ *Te regente* primū,  
mox *Et regnante* quā læta fuit, quā superba!  
Habuerant Lusitani magnanima gens & imperijs  
externis inassueta, iamq; recēs adhuc ditionis Hi-  
spanicæ; ita tamen tractati artificio Tuæ manus,  
vt iam domestici regis neque memoria esset, nec  
desideriū. Inde Belgij nostri singultus & lacrymæ  
abstraxerunt, querentibus illis & indignantibus  
tam citō deserui. Ibi continuò gesta res tam fortiter,  
tam industriè, tam feliciter, vt in medio esset, arte  
plus, an Marte posses; evidensq; documentum da-  
res, nihil esse tā inexpugnabile, quod non penetret  
magni alicuius ducis consiliū, diligentia, fortitu-  
do. Vix credent Posterij; Caletum illud, clauē Gal-  
liæ, an frenum potius? toties frustra repetitum po-  
tentissimi Regni mole & viribus, atque agrè tan-

dem postliminio læculorum receptum ignauia possidentis, ita momento temporis expugnasti, vt Famæ promptius fuerit dicere, quod cepisses, quam adijsses: illudque Iulij, Tuum fieret: veni, vidi, vici. Huiusmodi quoque quoddam & ipsum Martiæ virtutis Tuæ miraculum quis capi, imò quis cingi posse crederet, nisi videret, tutum paludibus suis & mari circumfluo? Ostendana demum obsidio, etsi annis minor Troianâ, nomine tamen & ipsâ re maior est. Vbi non gentium stupori fuit expugnatum tandem, vel indignante Neptuno, macellum illud humanarum carniû? Semel omnino Tua prosperitas passâ deliquium, maiore tamen etiam tum bono eius, qui vinceretur, quam qui vincerent. Quippe Mundo fortitudinem Tuam hætenus probaueras faciendo; reliquum erat, vt & patiando. Itaque cladē temeritate Tuorum acceptam animo tulisti, quo victoriam alij: in vtrumque paratus & semper idem, siue blandiente Domino, seu feriente.

Belli gloriam studia pacis iuxta sunt; factumque tandem Tuâ curâ, Tuis auspicijs, vt, qui nati inurbis iamque senescentes, imaginem saltem pacis viderent, quando nondum ipsam, peccatis nostris & irâ Numinis. Sed, ô, Tu ingens Anima, & merito

rito vitæ post mortem potens, nunc è cœlo perage, quod adeò agebas nuper in terris posita: domitâ perduellione, victisque simul aut versis ad meliora Regum, Ecclesiæ, Dei hostibus, tandem veniat amica Pax, & vno illo semel pacato terrarum angulo, omnem vbiq; Christianum orbem à tam diuturnâ tempestate conserenet. Hæc à nobis ad Te nunc vota sunt: sic enim vixisti, ita mortuus es, vt pro Te nullis opus sit. Nam in isto castissimo totque modis emaculato spiritu quid ignis ille purgator inueniat, vt excoquat; quid in contaminatorum Ciuitas, vt nondum admittat? Is vtiq; vitæ tenor, ea morum integritas tanto Principi, vt etiam monachorum optimi se optent affectos. Erant illi soror Coniunx, Pauperes Fratres, Sacerdotes patres, Cubiculum oratorium, Aula monasterium, Deus omnia. Itaque nihil miri, ita se aptasse Morti, qui sic vixerat, & vltimam morituri curam fuisse, imò vnicam, apud astantes, precibus adiuuarēt exeuntem animam, & in Abrahæ sinum promouerent. E vulgata deinde mors, quem vrbi Palatinæ luctum fecit, mox & orbi?

6  
Obstupere animis, vicissimque dolore fatiscunt,  
Et facies urbem, ceu caperetur, habet.  
Curritur ad lacrymas, & inundant fletibus ora:  
Non domus abreptum tam gemit orba patrem.  
Quisque magis proprio furus commune queruntur,  
Et Patria duras indolere vices.  
Certatur gemitu, sed fortius omnibus Illa  
Altera spes castas mergitur umbre genas.  
Desine, Regum stirps, & non nisi femina sexu,  
Tundere lucrificâ pectus & ora manu.  
Tu quoque passa diu crudeles Belgica turbas,  
Sed tamen ALBERTO PRINCIPE passa minus.  
Pone modum lacrymis. Tu Patrem, Isabella Maritum,  
Nos gemimus raptum trunca caterva Caput.  
Sic raptum tamen, ut meliori sede receptus,  
Iam queat utilius consuluisse suis.  
Inde memor Belgique sui, Magnæque Iugalis,  
Officio Patrem reddet, amore Virum.  
Nos quoque Fraternali (tanta est dignatio) cura  
Complexique teget, & recreabit ope.  
Ergo spei fiet, fuerat qua causa doloris:  
Non mors est, vita tam bona metapia.  
Non abiit, qui sic abiit: presentior inde est,  
Et propius nostras audit amatque preces.  
Audi & ama, decus Aultriadum, Pietatis Auita  
Heres & custos pectore, mente manu.  
Audi & ama, Lucretumque Pius solare Tuorum:  
Ut possis, Tua mors, & Tua vita facit.  
Vita, licet medio turbantis murmure Mundi,  
Tot curas inter, tot licet inter opes,  
Quam blandorifu fortuna, ita verberare sauo,  
Tristibus, ut lætis stans eademq; sibi.  
Vita vel optandâ melior; sine crimine, luxu,  
Ambitione, notâ; sobria, iusta, pia.  
(Iustitia in Solio, pietatis cultus in Aulâ;  
Inter delicias sobrietatis amor:)

7  
Prona Bonis, obnixa Malis; exemplar honesti,  
Effigies morum, forma pudicitia.  
Sponte Tuâ mentemque Deo corpusque sacraras;  
Et servaturus, si licuisset, eras.  
In thalamos tractus, sic usus es, ut Tua vita  
Facta sit & thalamus forma pudicitia.  
Vita nec in puero pueri; discrimine nullo  
Annorum, semper seria, tota viri.  
Denique, qua deceat tam Divi Sanguinis ortum;  
Qua tot Luminibus luminis addat opem.  
Quis numeres magnæ celeberrima lumina gentis,  
Hoc, quod agunt cælo sidera, facta solo?  
Albertus pro sole venit. Tu Luna, Isabella,  
Illius pariter Luce, Tuâque miscans.  
Occidit, Heu, terrâsque gementes deseruit Sol.  
Non fuit illa dies, quâ fugit Ille, dies.  
Iam, nisi Tu tenebras moderabere. Luna, ruentes,  
Nil præter tenebras, omnia noctis erunt.  
Occidit, heu, terrâsque gementes deseruit Sol:  
Sed dedit occasu signa notâsque boni.  
Lattor ecce redit, quoties sol lattor exit,  
Blandique promittit vespera manè placens.  
Occidit; at nullâ turbatus nube serenum.  
Qua viventis erat mens, morientis erat.  
Non timuit doloitve supremi temporis horam.  
Nil nisi in ore Deus, nil nisi corde Deus.  
Quam capiant alij, vitam regnumque reliquit  
Promittor: hoc illi tam Pia vita dedit.  
Tam pia vita dedit venienti occurrere fato;  
Tamque piam mortem tam pia vita dedit.  
Iam gelidum pectus, iam spiritus ore natabat  
Ultimus; hoc unum, vota precésque petit.  
I, felix Heros; quando impatientia cæli  
Abripit, & terris non sinit esse diu.  
I, felix Heros, regnumque capesse peracti  
Mercedem regni, vita, corona datur.



Tu, fugiente animâ, nisi vota precesque petebas.  
 Sed quid opus rebus vota precesque Tuis?  
 Et tamen illa damus, quia, Te statuente, iubemur:  
 Et ferimus Capiti cætera membra vices.  
 Si modò ferre vices, meritumque rependere tantis  
 Speramus meritis cætera membra Tuis,  
 Tercentum cumulant magnis altaria donis  
 Sacrifici, pro Te vota precesque DEO.  
 Liquimur in lacrymas, gemituque lacepsimus auras,  
 Promimus & mæsto pectore triste Vale.  
 Sit cælum solum, sit merces vita, corona  
 Gloria, delicia lux. Deus omne bonum.

Parentatum Parenti Opt. Max. in Oratorio  
 Archifraternitatis,  
 Coloniae Vbiorum, anno 1621. xii. Kal.  
 Septembreis.



BONÆ MEMORIÆ  
 SERENISSIMÆ PRINCIPIS  
**DOROTHEÆ**  
**SYBYLLÆ**  
 EX AVGVSTA ELE-  
 CTORVM BRANDEN-  
 BVRGICORVM  
 FAMILIÆ;  
**DVCIS SILESIAE**  
**LIGNICENSIS ET**  
**BREGENSIS;**  
 PIENTISSIMÆ ET OPTI-  
 MÆ PRINCIPIS.

